SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO BARUTHINO

INDE A DIE XIX. M. AUGUSTI USQUE AD XXX

RITE CELEBRANDA

INDICIT

DR. J. C. HELD, RECTOR.

INEST

PROLEGOMENON AD PLUTARCHI VITAM TIMOLEONTIS
CAPUT TERTIUM.

BARUTHI MDCCCXLI.
TYPIS BIRNERIANIS.

Prolegomena
in
Plutarchi vitam Timoleontis.

Caput III.

Timoleontis vita quo consilio quaque arte et descriptione a Plutarcho esset composita, primo explicare conati sumus horum prolegomenon capite; deinde quae de Timoleontis rebus memoriae prodidit Plutarchus, secundo capite comparavimus cum iis, quae de eodem viro illustrissimo alii scriptores, imprimis Diodorus Siculus, tradiderunt. Restat, ut de fontibus agamus, ex quibus Plutarchus ipse sua se hausisse indicavit. Nam fidem iis, quae prodidit ille, habere non licet, nisi judicari possit et bonos sequutus esse auctores, et ita eorum usus esse auctoritate, ut aequo judicio et incorrupto vera discerneret a falsis, et, ubicunque illi inter se dissentirent, non temere uni alterive crederet, sed singulorum diligenter ponderaret sententias.

Commemorantur ab ipso Plutarcho rerum de Timoleonte expositarum auctores **Ephorus**, **Theopompus**, **Athanis**, **Timaeus**. Et Timaei quidem, Ephori et Theopompi mentio fit cap. 4, ubi de auguris nomine agitur, quem in Timophanis fratris caede adjutorem habuerit Timoleon, cuique Ephorus et Timaeus nomen dixerint fuisse Orthagorae, Theopompus Satyro. Deinde cap. 36. Timaei laudatur dictum, quo ille talia fuisse omnia Timoleontis facta praedicavit, quibus jure liceret acclamare illud Sophoclis: *Ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις, ἢ τίς Ἵμερος τοῦδε ξυνήψατο;* Ex eodem Timaeo sumta esse, quae cap. 26 narrantur de mulis apium portantibus Timoleonti ante pugnam ad Crimessum obviam factis, apparet ex Plut. Symp. V. (T. VIII, pag. 690 sq. Reisk.) *Ἱστορεῖ δὲ καὶ Τίμαιος ὁ συγγραφεύς, ὅτι Κορινθίοις**), *ὁπηνίκα μαχούμενοι πρὸς Καρχηδονίους ἐβάδιζον ὑπὲρ τῆς Σικελίας ἐνέβαλον ἡμίονοι***) *σέλινα κομίζοντες. οἰωνισαμένων δὲ τῶν πολλῶν τὸ σύμβολον, ὡς οὐ χρηστόν, ὅτι δοκεῖ τὸ σέλινον ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ τοὺς ἐπισφαλῶς νοσοῦντας δεῖσθαι τοῦ σελίνου φαμέν, ὁ Τιμολέων****) *ἐθάῤῥυνεν αὐτοὺς καὶ ἀνεμίμνησκε τῶν Ἰσθμοῖ*****) *σελίνων, οἷς ἀναστέφουσι Κορίνθιοι τοὺς νικῶντας.* **Athanis** primum commemoratur cap. 23., ubi colonorum, qui post expugnatas Syracusas ex Italia et Sicilia confluxerint ad Timoleontem, numerum ex illius auctoritate refertur fuisse sexaginta millium; deinde cap. 37, ubi Atha-

---

*) *Κορίνθιοι* Reisk.

**) Sic scribere ausus sum ex Plut. Tim. 26 pro eo, quod aperte corruptum est *τινες οὐ.*

***) *ὡς ὁ Τιμολέων* Reisk.

****) *Ἰσθμοῖς* Reisk.

nis dicitur Timoleontem perhibuisse, dum bellum cum Hippone et Mamerco tyrannis gerens Myllas obsideret, oculis captum esse, quum alii scriptores posteriore tempore, bellis omnibus confectis ac tyrannorum imperiis omnibus abolitis, accidisse calamitatem illam Timoleonti memoriae prodiderint.

Quos autem nominatim testes adhibuit Plutarchus, ubicunque vel discreparent res expositae, vel singulare aliquid uni alterive esset acceptum referendum, eosdem consentaneum est per totam enarrandam Timoleontis vitam, etiamsi non nominaret, sequutum esse duces.

De Ephori ac Theopompi scriptis, auctoritate, fide ita nunc omnia sunt virorum doctorum studio ac diligentia pertractata, ut, in his rebus si diutius velimus morari, acta videamur acturi esse. Theopompus *) Chius, Dionysio Halicarnassensi teste ἐπιφανέστατος πάντων Ἰσοκράτους μαθητῶν, quum duodecim libris Ἑλληνικῶν res Graecorum ab Ol. XCII, 2 ad Ol. XCVI, 3 enarraverit, deinde duodesexaginta Φιλιππικῶν libris Philippi Macedonis exposuerit vitam et res gestas, incertum possit videri in utro opere rerum ad Timoleontem pertinentium commemorationi potuerit locus dari. Sed testantur Photius in Excerptis et Dionys. Hal. de vet. script. cens. III, 3. Vol. V. p. 429 Reisk. saepius usum esse Theopompum digressionibus **) et multa historiae Philippicae admiscuisse antiquiora atque a Philippi rebus aliena. Idemque intelligitur ex Athenaeo XII. p. 533 a. Ac Diodorus XVI, 71 tradidit, tres libros a quadragesimo primo ad quadragesimum tertium usque Theopompum intexuisse historiis Philippicis res Siculas complexos a senioris Dionysii dominatu usque ad Dionysii junioris exilium ***). Quod Dionysii exilium quamquam non posterius illud dicitur, quo a Timoleonte eiectus est tyrannus, sed prius, quo a Dione victus excessit, tamen in illa parte operis verisimile est Theopompo oblatam fuisse ad Timoleontem digrediendi occasionem. Caeterum non temere Theopompo credidisse Plutarchum, sed, uti aliorum fere omnium, ita hujus quoque scriptoris auctoritate caute et prudenter usum esse, multis intelligitur locis, quibus erroris eum arguit atque aliorum auctorum fidei posthabendum censuit. Cf. quae de hac re disputavit Sintenis ad Plut. Themist. cap. 19.

Ephorus **) quamquam et ipse uno tantum loco illo, qui de Timophanis est caede, nominatim a Plutarcho fuit citatus, tamen multo plura haud dubie suppeditavit, quorum usus esset in Timoleontis vita conscribenda. Amplissimo enim triginta librorum opere Graecorum et barbarorum historiam inde ab Heraclidarum reditu persequutus est usque ad Ol. CX, 1. a. Chr. 340, quo anno Perinthum obsidere coepit Philippus. Hoc igitur tantae amplitudinis spatium quum amplecteretur opus historicum,**

---

*) Koch, Fr., Prolegomena ad Theopompum Chium. Sedini 1803. (repet. in Seebodii Archiv für Philol. u. Paedag. 1824. Fasc. III. Pflugk, de Theopompi Chii vita et scriptis. Berol. 1827.)

**) Pflugk, de Theop. pag. 38.

***) Διῆλθε χρόνον ἐτῶν πεντήκοντα ait Diodorus. Quem annorum numerum aut per negligentiam aut per errorem scriptoris falsum esse illatum putarunt Jons. de script. hist. Philos. I, 9, 3. Wessel ad Diod. l. l. et nuper etiam Pflugkius de Theop. pag. 39. At non viderunt viri docti, verum esse numerum, si ἡ ἔκπτωσις Διονυσίου τοῦ νεωτέρου statuatur a Diodoro dici fuga Dionysii a Dione Syracusis expulsi. Ad hanc enim ab eo anno, quo Dionysius maior tyrannide potitus est, numerantur anni quinquaginta Ol. XCIII, 3 — CVI, 1. ante Chr. 406 — 356.

****) Ephori Cumaei fragmenta. Collegit atque illustravit Meier Marx. Caroliruhae 1815.

propter eximias virtutes a multis scriptoribus antiquis magnopere laudatum, fieri non potuit, quin idem rerum a Timoleonte gestarum contineret memoriam. Locum autem narratio de Timoleonte pro temporum ratione in extrema haud dubie operis illius habuit parte, quapropter illi, quod Plutarchus commemoravit, Ephori dicto de auguris Corinthii nomine, Meier Marx sedem suam assignandam putavit inter libri tricesimi fragmenta. Quem librum Schoellius (Gesch. d. griech. Litt. I. p. 350) falso dicit totum ab Ephori filio Demophilo fuisse compositum. Huic enim conscribendam Ephorus reliquit eam tantum libri illius partem, qua bellum sacrum erat enarrandum, quod certissime testatur Diodorus Sic. XVI, 14. *Τῶν δὲ συγγραφέων Δημόφιλος μὲν ὁ Ἐφόρου τοῦ ἱστοριογράφου υἱὸς τὸν παραλειφθέντα πόλεμον ὑπὸ τοῦ πατρός, ὀνομασθέντα δὲ ἱερὸν συντεταγμένος ἐντεῦθεν ἦρκται ἀπὸ τῆς καταλήψεως τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ καὶ τῆς συλήσεως τοῦ μαντείου ὑπὸ Φιλομήλου τοῦ Φωκέως. ἐγένετο δὲ ὁ πόλεμος οὗτος ἔτη ἕνδεκα, ἕως τῆς φθορᾶς τῶν διανειμαμένων τὰ ἱερὰ χρήματα.* Adde Athenaeum, qui VI. pag. 232. D. (Tom. II. pag. 392. Schweigh.) *Ἔφορος*, inquit, *ἢ Δημόφιλος ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ἐν τῇ τριακοστῇ τῶν Ἱστοριῶν περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ λέγων, φησίν· Ὀνόμαρχος δὲ καὶ Φάϋλλος καὶ Φάλαικος οὐ μόνον ἅπαντα τὰ τοῦ θεοῦ ἐξεκόμισαν, ἀλλὰ κ. τ. λ.* Itaque quaecunque libro tricesimo continebantur et de Philippi rebus post bellum sacrum et de rebus ad Philippum non pertinentibus, ea omnia putanda sunt ab ipso Ephoro profecta esse. (Cf. Meier Marx l. l. pag. 29.) Hic scriptor quum in aestimanda testimoniorum veritate hanc sibi scripserit legem: *Περὶ μὲν γὰρ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς γεγενημένων τοὺς ἀκριβέστατα λέγοντας πιστοτάτους ἡγούμεθα, περὶ δὲ τῶν παλαιῶν τοὺς οὕτω διεξιόντας ἀπιθανωτάτους εἶναι νομίζομεν, ὑπολαμβάνοντες οὔτε τὰς πράξεις ἁπάσας οὔτε τῶν λόγων τοὺς πλείστους εἰκὸς εἶναι μνημονεύεσθαι διὰ τοσούτων,* *) quo praecepto et quaerendi, quae vera essent, studium laudabile et explorandi prudentiam exhibuit maximam, nihil est credibilius, quam de Timoleonte, cui ipse aequalis erat, et potuisse eum et voluisse certissima ac verissima memoriae tradere. Nam uti erant, qui multis in rebus Ephoro, etiam antiquissima tempora tractanti et quae incertissimae essent memoriae, fidem habendam negarent, ita ad Timoleontis vitam resque gestas non est quod dubitationem istam referendam esse statuamus. Immo huc maxime videntur pertinere, quae Heynius, vir immortalis laudis, prudentissime asseveravit in disputatione de fontt. Diod. Sic. p. 79. Bip. *„Fides huius scriptoris (Ephori) haud dubie in diversis operis partibus diversi momenti esse debuit et inique de eo iudicatum est universe vel ex una vel altera parte aut loco. Nam in recentissimis historiis ea tradidisse censendus est, quae ipse viderat vel audierat; antiqua vero ex aliis scriptoribus comparatione et iudicio facto composuisse.“*

Tertius eorum, quos Plutarchum vidimus adhibuisse rerum de Timoleonte traditarum testes, Athanis fuit, sive, quae nominis eius forma est apud Diodorum Siculum, Athanas. Pauca, quae de hoc novimus scriptore, ex uno fere didicimus Diodoro Siculo, cuius haec sunt in libri XV. cap. 94:

*) Cf. Meier Marx ad Ephori fragm. pag. 90, qui primus haec verba ab Harpocratione sub v. *Ἀρχαίως* servata, quae Thucydidis esse antea vulgo putabant, recte vindicavit Ephoro.

Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀθάνας ὁ Συρακούσιος, τῶν περὶ Δίωνα πράξεων ἐντεῦθεν (ab Ol. CIV, 3.) ἀρξάμενος, ἔγραψε μὲν βίβλους τρισκαίδεκα, προσανέλαβε δὲ τὸν ἄγραφον χρόνον ἐτῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς Φιλίστου συντάξεως ἐν μιᾷ βίβλῳ καὶ διελθὼν τὰς πράξεις ἐν κεφαλαίοις συνεχῆ τὴν ἱστορίαν ἐποίησεν. Quibus adde, quae Athenaeus habet XV, 54. Ἄθανις ἐν πρώτῳ Σικελικῶν, τὸν αὐτόν φησι Διονύσιον καὶ τὸν βοῦν γαρόταν καλεῖν καὶ τὸν χοῖρον ἴακχον. Compc suerat igitur Athanis opus historicum rerum Sicularum, divisum in tredecim libros, quibus praemissus erat unus liber historiam complectens septem annorum, qui praecesserunt Dionis victoriam, qua Dionysius posterior regno est expulsus. Nam tria conscripserat Philistus opera historica, quorum primum septem libris complectebatur rerum Sicularum octingentos amplius annos ad Ol. XCIII, 3, alterum Dionysii maioris enarrabat res quatuor libris, tertium duobus libris per quinque annos Dionysii minoris persequebatur regnum. Propterea Diod. Siculus XV, 94 ad Ol. CIV, 2 memorat: Φίλιστος δὲ τὰ περὶ Διονύσιον τὸν νεώτερον ὧδε κατέστροφε, διελθὼν ἔτη πέντε ἐν βίβλοις δυσίν. Dionysius autem minor, cuius regno duodecim anni dantur a Diodoro XV, 73. μετ᾽ ὀλίγον δὲ χρόνον Διονύσιος εἰς ἀρρωστίαν ἐμπεσὼν ἐτελεύτησε, δυναστεύσας ἔτη τριάκοντα καὶ ὀκτώ· τὴν δὲ ἀρχὴν διαδεξάμενος ὁ υἱὸς Διονύσιος ἐτυράννευσεν ἔτη δώδεκα, patre defuncto regnare coepit Ol. CIII, 2, (a. Chr. 367) ex quo anno usque ad Ol. CIV, 3, (a. Chr. 362) unde Athanis historiam suam exorsus est, effluxerant anni quinque. Superatus a Dione Syracusis profugit Dionysius Ol. C VI, 1. (a. Chr. 356) ad quem usque annum ab Ol. CVI, 3. septem numerantur anni *).

---

*) Haec ratio, ipso Diodoro duce et auctore instituta, praestat, ni fallor, sententiae Heynii, quem sequutus est Goellerus in libro de situ et origine Syracusarum pag. 16. Heynius enim in disputatione de fontibus Diodori Siculi pag. 86 haec memorat de Athani: „*Exceperat Philistum Athanas Syracusanus, res Dionis libris XIII. persequutus inde ab Olymp. CIV, 3. Debuit itaque illud descendere usque ad Olymp. CVI, 3, ut adeo res annorum fere novem (inde ab anno ante Chr. n. 362 ad an. 354) comprehenderet: idem praemiserat uno libro historiam a Philisto intactam relictam septem annorum. Sic Diodorus XV, 94, ut adeo hic in computum non retulerit libros illos duo de Dionysii iunioris rebus, sed tantum maius illud opus historicum Philisti, quod in Dionysii senioris morte exierat, Ol. CIII, 1, ante Chr. n. 368, a quo annus septimus CIV, 3, 362.*“ Itaque Heynius Diodori verba, supra adscripta ex lib. XV, 94, ita interpretatus est, ut statueret, septem annos, quorum historiam addidisset operi suo Athanis (προσανέλαβε δὲ τὸν ἄγραφον χρόνον ἐτῶν ἑπτὰ) eos fuisse annos, qui proximi praecessissent Olympiadis CIV annum tertium. Haec autem ratio ut sibi constet, verba Diodori ἀπὸ τῆς Φιλίστου συντάξεως referenda sunt ad eos Philisti libros, quibus Dionysii maioris exposuerat res, nam septimus ante Ol. CIV, 3 annus erat Ol. CIII, 1, (vel secundum Diodori descriptionem 2), quo mortuus est Dionysius maior. At res post Dionysii majoris mortem per quinque annos gestae non intactae fuerant relictae a Philisto, qui duos libros scripsit de hac rerum Dionysii minoris parte priori. Hoc quamquam ipse affirmavit Diodorus, tamen, ut interpretatio ista admitti possit, idem putandus est Diodorus neglexisse, et sic loquutus esse, ut libros de Dionysio minore a Philisto scriptos exstitisse plane videretur oblitus esse. Quod fieri potuisse, quis umquam sibi persuadeat. Accedit quod, quae Diodorus dixit τὸν ἄγραφον χρόνον ἐτῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς Φιλίστου συντάξεως multo aptius videntur dicta esse, si referantur ad opus inchoatum nec ad finem perductum, quale erat

Res autem tractandas ita disposuerat Athanis, ut primo libro breviter ac summatim (ἐν κεφαλαίοις) ageret de Dionysio minore explens ea, quae Philistus reliquerat absolvenda. Quo facto ita potuit ad Dionis historiam transgredi, ut perpetua efficeretur enarratio neque inter sui operis initium ac Philistei operis exitum relinqueretur quidquam spatii silentio praetermissi (συνεχῆ τὴν ἱστορίαν ἐποίησεν). Deinde accuratius haud dubie et copiosius reliquis libris exposuit res Dionis, quarum enarrationem maxime sibi videtur Athanis proposuisse et praecipuam fecisse operis sui partem. Manifestum hoc est ex eo, quod Diodorus, opus hoc Athanae designaturus, τὰς περὶ Δίωνα πράξεις potissimum commemorat easque cum primo isto libro, qui de Dionysii minoris erat rebus, ita componit, ut rei actae summa ac praecipua pars comparari videatur cum quodam quasi παρέργῳ, quod levius fuerit ac minoris momenti. Neque tamen puto, iis finibus, quibus Dionis aetas erat circumscripta, continuisse se Athanin, ac probo, quod Heynius loco laudato hac de re dixit, si hac accipiatur sententia, ut Athanis dicatur non citra Ol. CVI, 3 (ante Chr. n. 354) substitisse, quo anno occisus est Dion, non probo, si quis statuere velit, non ultra illum terminum Athanin processisse, quod statuit Schoellius T. I. pag. 347. parum caute asseverans Athanam Syracusanum historiam edidisse Dionis ab anno a. Chr. 362. (sic enim scribendum pro eo, quod mendo typographico scriptum est 302) usque ad annum 354. Nam latius patuisse ejus opus quum inde possit colligi, quod titulus ei inscriptus fuit Σικελικά, tum eo evincitur, quod in quibus rebus Plutarchus Athanin adhibuit testem, eae posterioris fuere temporis. Fortasse igitur, quemadmodum praemisit iis, qnae de Dione prodidit, nonnulla, quae de Dionysio minore antea erant dicenda, ita expositis Dionis rebus addidit nonnulla de iis, quae post Dionis caedem acciderant Syracusanis vel omnino Siculis. Quae quo usque produxerit Athanis, eo minus licet certo affirmare, quod ne hoc quidem nobis cognitum est, qua ille vixerit aetate. Neque tamen magnopere vereor, ne fallar, aestimans, Athanin iis ipsis rebus, quae Dione ac Timoleonte ducibus apud Syracusanos gestae sint, fuisse aequalem. Neque quo ingenio fuerit Athanis, nec quid in ejus opere vel laude fuerit dignum, vel vituperatione, compertum habemus. Possit aliquis ex eo, quod Philisti operi suos quasi annexos esse et conjunctos voluerit libros, conjecturam facere, animo quoque et moribus similem fuisse Philisto, quem Corn. Nep. in Dion. 3. hominem fuisse perhibet amicum non magis tyranno quam tyrannidi. At haec suspicio quia firmis ac certis non nititur argumentis, aequius fuerit honorificentius de eo judicare, atque ex eo, quod Dionis maxime res sibi exponendas sumsit, colligere, magis ei placuisse libertatis vindicem, quam oppressorem.

Sed uberrimos haud dubie fontes rerum ad Timoleontis facta pernoscenda utilissimarum aperuerat

---

Philisti de Dionysio minore, quam si respiciatur tempus extra fines positum operis integri remque propositam comprehendentis totam, qualis erat Philisti historia Dionysii senioris. — Rationis a nobis initae, qua septem annorum, quorum historiam addidit Athanis operi suo, initium ducitur ab ipso illo Olympiadis CIV anno tertio, unde opus suum Athanin exorsum esse dicit Diodorus, viam monstravit Clinton in fastis Hellen. pag. 124. 129 134 sq. ed. Krüg.

Plutarcho Timaeus, *) qui ipse in Sicularum rerum (Σικελικῶν) libris magnifice Timoleontem posteritati commendaverat, quemque credibile est, omnium fere scriptorum, qui res ab illustrissimo viro gestas commemorarint, accuratissimam et plenissimam earum habuisse notitiam. Neque enim solum in Sicilia erat natus eaque aetate, qua adolescens ipse videre posset tum calamitates, quibus patriae civitates modo tyrannorum, modo Carthaginiensium vi et cupiditate, modo civium domesticis dissensionibus oppressae tenebantur, tum Timoleontis facta, quibus libertatem restituebat Graecis in Sicilia civitatibus, praeclarissima, sed etiam illum ipsum Andromachum Tauromenitarum principem, a quo Timoleon, quum in Siciliam venisset, benigne exceptus est, habuit parentem, eumque, qui mature se ad Timoleontis applicuisset amicitiam et eximiam ei praestitisset fidem, de hujus viri moribus, virtutibus, rebus gestis, fortuna et honoribus saepenumero haud dubie audivit loquentem ejusque laudes sermonibus suis gratissima recordatione inserentem.

Scripsit Timaeus duo opera historica, quorum altero, quod Σικελικά inscriptum fuit, universam Siciliae et maxime Syracusarum historiam tractavit, altero Pyrrhi Epirotarum regis in Italia et Sicilia gestum bellum enarravit. **) Historias Siculas deduxisse Timaeum usque ad Olymp. 129 testis est Polyb. I, 5, 1. ὑποθησόμεθα δὲ ταύτης ἀρχὴν τῆς βίβλου τὴν πρώτην διάβασιν ἐξ Ἰταλίας Ῥωμαίων. αὕτη δ' ἐστὶ συνεχὴς μὲν τοῖς ἀφ' ὧν Τίμαιος ἀπέλιπε. πίπτει δὲ κατὰ τὴν ἐννάτην καὶ εἰκοστὴν πρὸς ταῖς ἑκατὸν Ὀλυμπιάδα. Quo efficitur, ut Timaeus putandus sit vixisse minimum ad annum a. Chr. 262. Porro ex Luciani Macrob. T. VIII. p. 127. Bip. constat Timaeum nonaginta sex annos natum decessisse. Itaque natum eum fuisse credibile est anno a. Chr. circiter 357. Iam quum Timoleon Corintho profectus sit auxilium Syracusanis petentibus laturus anno 344, eo tempore Timaeus annum agebat circiter decimum quartum. Deinde compertum nunc habemus ex Polybii fragmentis, quae Ang. Majus nuper invenit in bibl. Vaticana ***) paene quinquaginta annos commoratum esse Timaeum Athenis, quo ab Agathocle Syracusis pulsus abierat. Polyb. fragm. XII, 13. Τῷ δὲ Τιμαίῳ καὶ ἕτερόν τι χωρὶς τῶν προγεγραμμένων συμβέβηκεν· ἀποκαθίσας γὰρ Ἀθήνησι σχεδὸν ἔτη πεντήκοντα καὶ πρὸς τοῖς τῶν προγεγονότων ὑπομνήμασι γενόμενος ὑπέλαβε τὰς μεγίστας ἀφορμὰς ἔχειν πρὸς τὴν ἱστορίαν. Iam si recte posuimus anno a. Chr. circiter 262 Timaeum esse vita defunctum, patet, eum circa annum 311 Syracusis ejectum esse ab Agathocle, qui regnum apud Syracusanos obtinuit ab anno a. Chr. 317 usque ad annum 289, quo anno interfectus est. Ergo Timaeus quum adveniret

---

*) De situ et origine Syracusarum scripsit atque Philisti et Timaei rerum Sicularum fragmenta adiecit Franc. Göller. Lips. 1818.

**) Cf. Voss. de hist. Gr. pag. 81. sqq. Goell. de vita Timaei pag. 182 sp. Heyn. de font. Diod. Sic. pag. 88. Heeren de font. Plut. I. pag. 52.

***) Scriptorum veterum nova collectio e Vaticanis codicibus edita ab Angelo Maio. Tom. II. Romae 1827. cuius collectionis eas partes, quae Polybii et Appiani libros novis augent opibus, separatim edidit J. Fr. Lucht, Altonae 1830.

Athenas, ferme quadraginta sex annos natus fuisse credendus est,*) ibique aetate validissima composuisse opera sua, quapropter Plutarchus in libello de exilio (Tom. VIII. pag. 388. Reisk.) Καὶ γὰρ τοῖς παλαιοῖς, inquit, αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμώτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν ἐπετέλεσαν· Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ἐν Θρᾴκῃ περὶ τὴν Σκαπτὴν ὕλην· Ξενοφῶν ἐν Σκιλλοῦντι τῆς Ἠλείας· Φίλιστος ἐν Ἠπείρῳ· Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης ἐν Ἀθήναις.

Magnas quasdam fuisse Timaei in historiis conscribendis virtutes gravissimi judicarunt auctores harumque rerum intelligentissimi, ex quibus unum hic sufficiat nominasse Ciceronem, qui de Orat. II, 14. *Timaeus*, inquit, *quantum judicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus, et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit.* Idem in Epp. ad Div. V, 12. in clarissimorum scriptorum numero ponit Timaeum, beatum praedicans Timoleontem, quod talem nactus sit virtutum suarum praeconem. Deinde quantum ipse Timaeus judicarit veritatis studium esse debere in rerum scriptore, egregie testantur, quae Polybius tradidit XII, 7, 2. Ὅτι Τίμαιός φησι μέγιστον ἁμάρτημα περὶ τὴν ἱστορίαν εἶναι τὸ ψεῦδος· διὸ καὶ παρεῖναι τούτοις, οὓς ἂν ἐξελέγξῃ διεψευσμένους ἐν τοῖς συγγράμμασιν, ἕτερόν τι ζητεῖν ὄνομα τοῖς βιβλίοις, πάντα δὲ μᾶλλον ἢ καλεῖν ἱστορίαν. Καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῶν κανόνων, κἂν ἐλάττων ᾖ τῷ μήκει, κἂν τῷ πλάτει ταπεινότερος, μετέχῃ δὲ τῆς τοῦ κανόνος ἰδιότητος, κανόνα φησὶν εἶναι καὶ δεῖν προσαγορεύειν οὕτως· ὅταν δὲ τῆς εὐθείας καὶ τῆς πρὸς ταύτην οἰκειότητος οὐκ ἐγγίζῃ, πάντα μᾶλλον δεῖν ἢ κανόνα καλεῖν· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῶν συγγραμμάτων, ὅσα μὲν ἂν ἢ κατὰ τὸν χειρισμὸν ἢ κατ᾽ ἄλλο τι διαμαρτάνηται τῶν ἰδίων μερῶν, ἀντέχηται δὲ τῆς ἀληθείας, προσίεσθαί φησι τὸ τῆς ἱστορίας ὄνομα τὰς βίβλους, ὅταν δὲ ταύτης παραπέσῃ, μηκέτι καλεῖσθαι δεῖν ἱστορίαν. Praeterea Timaeo eximia tribuitur a veteribus et in temporibus notandis diligentia, qua primus rem antea paene neglectam cum arte tractarit laudabilique cura, et locorum peritia insignis. Talem igitur auctorem quis non putet singulari quodam fortunae favore obtigisse et certissima potuisse fideque dignissima offerre Plutarcho Timoleontis vitam enarraturo?

At leguntur apud veteres, quae magnam nobis possint de Timaei auctoritate veritatisque diligentia injicere dubitationem, quaeque si vera sint, in errores facilius induci potuisse videatur, qui Timaeo de Timoleontis rebus agenti crediderit, quam vera comperire. Primum enim fuerunt, qui fidem negarent habendam esse scriptori, qui non solum rerum gerendarum inscitia multa falso tradidisset, sed etiam consulto haud pauca in historias suas intulisset mendacia. Atque prius illud ne Cicero quidem, quamquam honorificentissime de Timaeo judicat, prorsus dissimulavit. Sub finem enim ejus loci, quem supra adscripsimus ex libro II. de Orat. c. 14., magnam quidem eloquentiam ait Timaeum ad scribendum attulisse, s e d n u l l u m u s u m f o r e n s e m. Sed multo acrius et infestius in Ti-

---

*) Ex his videtur corrigenda esse computatio Goelleri, qui quum nondum nosset locum supra adscriptum Polybii, ab Ang. Maio primo vulgatum, sexagenarium statuit Timaeum Athenas venisse.

maeum invehitur Polybius, qui tam multa tamque gravia in illum congerit opprobria, ut negligere ea vel silentio praeterire non liceat, si quis de Plutarchi in Vita Timoleontis fide velit disceptare. Illa igitur qualia sint, quantamque vim habeant ad rem nobis propositam, paulo accuratius videtur disquirendum esse.

Primum enim quod Ciceronem modo vidimus in Timaeo notasse, usu forensi eum destitutum fuisse, id Polybius tanta exagitat acerbitate, ut nihil paene tribuendum esse historiis ab eo conscriptis, neque quidquam inde capi posse contendat utilitatis. Nam res in bello gestas recte exponere non posse, nisi qui ipse stipendia meruerit et castrorum proeliorumque usu res bellicas fuerit edoctus; de civitatum formis, administratione, temporibus tradere vera et probabilia non posse, nisi qui ipse rebus publice gerendis interfuerit; locorum situm et naturam describere non posse, nisi qui adierit eos suisque ipse oculis adspexerit. At Timaeum neque militasse umquam, neque ad rem publicam accessisse, neque locorum populorumque varietates itineribus cognovisse longinquis. Praeterea ne id quidem curasse Timaeum, ut eventuum causas explicaret, qua una re historiam vitae bene instituendae rerumque gerendarum fieri magistram. Omnia sua ex multa variaque librorum lectione petiisse Timaeum, quae quamquam negligenda non esset rerum scriptori, tamen inutilis esset sine usu ac peritia ipsis rebus vel in bello vel in pace gestis parata, atque etiam in magnos errores nonnumquam induceret eos, qui rerum libris traditarum qualis esset ratio ac natura, sua non essent edocti rerum administratione, neque vere de illis didicissent judicare. Quo factum esse, ut, quaecunque exponeret Timaeus, mirum in modum languerent neque ullam haberent vim ad lectorum animos commovendos vel imitandi studio inflammandos vel exemplis praeceptisque, quibus ipsi in vita agenda uterentur, instituendos.

Haec omnia etsi non negamus et per se spectata ex parte saltem aliqua esse probabiliter disputata, et de Timaeo dicta non nihil de eius laude deminuere, tamen obliviscendum non est, primum hujus vituperationis gravitatem levari laudibus, quibus alii ornarint eundem scriptorem, deinde Polybium maxime esse causae istius actorem criminumque inventorem. Polybium autem in vulgus constat, omnem historiae et dignitatem et utilitatem in eo censuisse positam esse, ut rerum ante actarum scientia erudirentur posteri ad civitates domi bellique prudenter, juste, fortiter administrandas *). Id uti ipse solum in historiis scribendis consilium sequutus est, ita de aliis scriptoribus ad eandem normam consuevit judicare **). At pragmaticum illud, quod vocant, genus, quamquam magnas suas habet et praeclaras virtutes, tamen non ita est reliquis omnibus praeponendum, ut nisi qui in uno illo genere elaborarint historici, laudari probarique non possint. Itaque verendum est, ne Polybius sua captus sententia alienasque prae sua contemnens iniquius judicarit de scriptoribus alio ductis consilio,

---

*) Cf. G. Fr. Creuzer, Die histor. Kunst der Griechen pag. 212, 321. Herm. Ulrici, Charakteristik der antiken Historiographie, pag. 59 sqq. 208 sqq.

**) Totum Polybii librum duodecimum versatum fuisse in reprehensione et exagitatione cum aliorum historicorum, Polybio seu aequalium seu antiquiorum, tum maxime Timaei, vere iam Reiskius docuit in annotatione, quam vide apud Schweigh. VII. pag. 71.

neque tantum ei tribuendum videtur esse, ut, quem ille nominibus supra memoratis reprehenderit, eundem nos quoque nihili faciendum esse arbitremur. Postremo, ut iam redeamus ad res Timoleontis, propter quas haec omnia disputamus, vitia illa, etiamsi et esse vitia et in Timaeo fuisse concedamus, tamen necesse non est id effecisse, ut res ipsas, quas eodem, quo ipse vixit tempore, iisdemque, quibus ipse natus erat magnamque vitae partem degerat Timaeus locis, vel fecerat vel perpessus erat Timoleon, non potuerit ille vere et cum fide enarrare.

Deinde Polybius reprehendit Timaeum, quod rebus explorandis parum adhibuerit diligentiae et cum quadam animi levitate tradere non sit veritus, quae falsa esse facillime potuerit cognoscere. Cujus vitii nonnulla proponit exempla *). Primum enim quod Romanos dicat Timaeus propterea quotannis die stato equum immolare in campo Martio **), ut monumentum esset Troiae per equum ligneum captae, id falsissimum esse, quia barbari fere omnes, etiam qui a Troiana stirpe non essent orti, priusquam bellum susciperent gerendum, equum consnevissent mactare, cujus ex casu de belli eventu augurarentur; quare, quae tam vulgaris esset barbarorum consuetudo, eam apud Romanos non propter equi illius lignei recordationem esse institutam. Deinde ne de patriis quidem rebus, quasque suis ipse adspexisset oculis, satis vera retulisse Timaeum, inde patere arguit Polybius, quod Arethusae fontis Siculi originem in Peloponneso affirmarit esse; Alpheum enim, Elidis fluvium, sub mari cursum habere in Siciliam ibique prope Syracusas ex solo denuo prosilire, cujus rei argumentum esse, quod, quum aliquando inter ludos Olympicos pluvia super ripas auctus Alpheus regionem istam inundasset, multum stercoris a bubus, qui Olympiae fuissent, editi ac fluvii aquis proluti ejecisset postea Arethusa; atque etiam phialam auream, quae Olympiae delapsa esset in fluvium, paulo post ab Arethusa fonte esse editam.

His igitur exemplis allatis Polybius demonstrat turpem fuisse Timaei in rerum veritate exscrutanda vel negligentiam vel credulitatem. At sunt illa exempla ex eo genere, in quo constat veterum scriptorum multos non ea, quam posteriores consueverunt requirere, versatos esse diligentia ac fide, quo factum est, ut multae in eorum libros inferrentur vel fabulae inanes, vel fabularum antiquorumque rituum explicationes nulli posteriorum probabiles. Ac sane quidem Timaeus tantum abfuit ut ab ista consuetudine abhorreret, ut rerum mirabilium etiam nimis fuerit studiosus. Cui studio eum indulsisse quamquam laudare nemo potest, tamen non tanti videtur faciendum esse, quanti fecit Polybius. Neque solus ille eam, quam supra commemoravimus, putavit equi apud Romanos quotannis immolati fuisse causam, sed complures in eadem fuisse sententia ex iis apparet, quae Plutarchus habet in Quaestionibus Rom. T. VII. p. 155. *Διὰ τί ταῖς Δεκεμβρίαις εἰδοῖς ἱπποδρομίας γενομένης ὁ νικήσας δεξιὸς ἱερὸς Ἄρει θύεται; πότερον (ὡς ἔνιοι λέγουσιν) ἵππῳ τὴν Τροίαν ἡλωκέναι νομίζοντες ἵππον κολάζουσιν, ἅτε δὴ καὶ γεγονότες Τρώων ἀγλαὰ τέκνα μεμιγμένα παισὶ Λατίνων;*

---

*) Fragm. Polyb. ex Vaticanis codd. ed. ab Ang. Maio. T. II. p. 381. sqq. Lucht pag. 13 sqq.

**) Cf. de equo Octobri Hartung, die Religion der Römer. II. pag. 160.

De Arethusa vero quae tradiderat Timaeus, ea tantopere erant non vulgata solum apud veteres, sed etiam a multis credita, ut etiam Strabo (lib. VI. p. 270. 264. Siebenk.) multum in refellenda ista opinione consumserit operae. *)

Similia his, quae apud Goellerum pag. 187. ex Polybio afferuntur falso ab Timaeo de Italia, Africa, Corsica tradita.

Justo autem iniquius Polybium in ejusmodi rebus judicasse de Timaeo luce clarius ostendit locus XII, 25, 7. Schwgh. Fragm. XXXI. ap. Goell. p. 235. *ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ, καὶ ταύτης ἐπὶ τελευτῇ, λέγει (Τίμαιος) κατὰ τὴν τοῦ Τιμολέοντος παράκλησιν ταῦτα· „διότι τῆς γῆς, τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης, εἰς τρία μέρη διῃρημένης, καὶ τῆς μὲν Ἀσίας, τῆς δὲ Λιβύης, τῆς δ' Εὐρώπης προσαγορευομένης.“ ταῦτα γὰρ οὐχ οἷον Τίμαιον εἰρηκέναι τις ἂν πιστεύσειεν, ἀλλ' οὐδὲ τὸν λεγόμενον Μαργίτην ἐκεῖνον. τίς γὰρ οὕτως ἐστὶν ἀδαὴς, οὐ λέγω τῶν πρὸς ὑπομνήμασι γεγονότων* . . . . Quo loco quamquam viri docti, quia post *γεγονότων* reliqua interciderint, dubitari posse censent, quid a Polybio vituperetur, mihi tamen id minime videtur dubium esse. Nam quum ex iis, quae Timoleontem loquentem fecerat Timaeus nil hoc loco adscripserit Polybius praeter ea verba, quibus triplex commemoratur orbis terrarum divisio, quid aliud putemus ab eo reprehendi, nisi eam ipsam de descriptione orbis terrarum sententiam. Atqui eandem sententiam multos sequutos esse scriptores clarissimos, quis est qui nesciat. Neque quidquam poterit certius esse, quam, qui hoc nomine vituperarit Timaeum, injusti egisse partes insectatoris. Cf. Schweigh. et Goell. ad l. l.

Verum haec utcunque se habent, illud jure nobis videmur existimare, nisi, Timaeum in historiis conscribendis justo negligentiorem fuisse, gravioribus comprobetur argumentis, ista nos permovere non posse, ut de Timoleontis quidem rebus auctori illi fidem esse tribuendam negemus.

Tertium, quod in Timaeo vituperat, multo etiam gravius est atque ad ipsam pertinere videtur veritatis contemtionem. Ait enim ille (Ang. Mai. p. 387., Lucht p. 20), qui scriptor deprehendatur unum vel duo mendacia in opus suum consulto intulisse, eius reliqua omnia suspecta reddi, neque tuto posse pro certis haberi. Atqui Timaeum quum alia multa falso exposuisse, studio maxime et ira impulsum (Goell. pag. 187, sqq.), tum orationes rerum narrationi inseruisse multas atque admonitiones, non quales ab concionantibus pronuntiatae essent, sed quales ipse putasset habendas fuisse, si quis de re proposita dicens non veritatem rei sequi, sed eloquentiam suam ostentare vellet; alia aliorum populorum, hominum, locorum, temporum esse orationum genera; quare stultissime egisse Timaeum eadem ratione eodemque exemplo quosvis homines ubique inducentem verba facientes, quo factum esse, ut multae eius orationes neque hominibus essent aptae, neque vel locorum vel temporum opportunitati sese applicarent.

Et maledicentiam quidem haud injuria Timaeo exprobrasse Polybium, aliorum quoque scriptorum docent testimonia, quae vide apud Goellerum pag. 192 sq. Sed ibidem invenies non omissa, quae de

---

*) Cf. Goeller. ad Timaei fragm. pag. 303. Mannert. Geogr. IX. B. pag. 325. Ukert Geogr. II, 1. pag. 40.

istius vitii vel causis vel excusatione disputari possint. Ceterum de Timoleontis rebus ubi quaeritur, non est verendum, ne illius viri obfuerit famae acerbior scriptoris indoles; ejus enim perhibetur ultra veritatem studiosus fuisse, qua de re postea disseremus. Contra id a veri similitudine non abhorret, de hostibus Timoleontis atque adversariis eum fortasse nimis inimico animo judicasse ac tradidisse, quae veritatis modum excederent. — De orationibus a Timaeo fictis, rerum ac personarum rationi parum aptis, quae dicit Polybius, vera esse, non solum aliorum comprobant scriptorum testimonia, sed etiam, quae ipse Polybius affert, exempla. Quorum exemplorum quum unum petitum sit ab oratione, ipsi Timoleonti tributa, quo facilius perspiciant lectores, quale fuerit frigidum illud, Longino auctore (*περὶ ὕψους* IV. 2.) Timaei proprium, Polybii verbis huc transscribamus. Ait enim ille, Timoleontis apud Timaeum, priusquam pugnam cum Poenis committeret, suos ad proeliandi fortitudinem exhortantis talem fere fuisse orationem: *πρῶτον μὲν ἀξιοῖ μὴ βλέπειν πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ὑπεναντίων ἀλλὰ πρὸς τὴν ἀνανδρείαν. καὶ γὰρ τῆς Λιβύης ἁπάσης συνεχῶς οἰκουμένης καὶ πληθυούσης ἀνθρώπων, ὅμως, ἐν ταῖς παροιμίαις, ὅταν περὶ ἐρημίας φάσιν βουλώμεθα ποιῆσαι, λέγειν ἡμᾶς ἐρημότερα τῆς Λιβύης, οὐκ ἐπὶ τὴν ἐρημίαν φέροντας τὸν λόγον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν ἀνανδρείαν τῶν κατοικούντων· καθόλου δὲ, φησί, τίς φοβηθείη τοὺς ἄνδρας, οἵτινες τῆς φύσεως τοῦτο τοῖς ἀνθρώποις δεδωκυίας ἴδιον παρὰ τὰ λοιπὰ τῶν ζώων, λέγω δὲ τὰς χεῖρας, ταύτας παρ' ὅλον τὸν βίον ἐντὸς τῶν χιτώνων ἔχοντες ἀπράκτους περιφέρουσι, τὸ δὲ μέγιστον, οἳ καὶ ὑπὸ τοῖς χιτωνίσκοις, φησί, περιζωμάτια φοροῦσιν, ἵνα μηδ' ὅταν ἀποθάνωσιν ἐν ταῖς μάχαις φανεροὶ γίνωνται τοῖς ὑπεναντίοις.* Quae sane tantopere abhorrent a rerum expositarum gravitate tamque inepte sunt dicta, ut, cujus animus paululum sit recti decorique sensu imbutus, delectari iis nullo modo possit. At enimvero nobis hoc unum nunc propositum est, ut quaeramus, Timaei maxime auctoritatem si sequutus sit in Timoleontis vita enarranda Plutarchus, num propter illud, quo Timaeus usus est, eloquentiae genus, suspecta esse debeat rerum a Plutarcho de Timoleonte traditarum veritas. Non dubitarim equidem affirmare, nil hac re detrahi de Plutarchi fide. Quum enim duabus maxime rebus contineatur historici scriptoris fides, rerum, quae narrantur, veritate, et conveniente rerum rationi ac naturae dicendi genere et colore, utrumque esse debet in perfecto historiarum scriptore, utrumque grave est ad judicium de eius fide ferendum, sed gravius posteriore prius. Nam res ipsae, quae exponuntur, si aut non sunt factae aut plane aliter sunt factae, nulla umquam eloquendi arte efficitur, ut veri aliquid eius modi liber historiarum habere videatur. At res ipsas dum ne finxerit scriptor vel mentitus fuerit, etiamsi modo exposuerit parum apto neque proprium vel hominum vel rerum colorem satis convenienter servarit, tamen nudam rerum actarum notitiam sine fraudis suspicione inde haurire licebit sagacioris ingenii lectori. — Orationes autem rerum enarrationi insertas, quamquam inique et frustra jubet Polybius omnino exhiberi eas, quae revera habitae fuerint, id quod neque fieri umquam potuit neque faciendum esse prisci scriptores existimaverunt, tamen praecipue potuisse, quam vere scriptor et perspexerit et imitando retulerit hominum ingenia temporumque rationes, indicare, id nemo est, qui infitias eat. *Itaque* si quis scriptor loquentes induxit homines praeclaros, quae vel ab illorum indole ac natura aliena

essent, vel locis temporibusque non satis convenirent, sane ille graviter judicandus est peccasse et multum offecisse rerum cognoscendarum integritati. Ceterum qui res tantum quales, a quibus hominibus et quo tempore peractae sint, cognoscere velit, is facile, quid in tali scriptore sibi faciendum sit, intelliget; non esse curandas videbit vanae eloquentiae ineptias, sed ad solas res gestas animum advertendum, deque hominum moribus atque ingeniis non ex orationibus temere fictis, sed ex factorum ratione diligenter perpensa existimabit. Iam Plutarchus si consideretur qua ratione in Timoleontis vita enarranda sit usus, manifesto apparebit, nihil eum ex nugis istis, quas Timaei conciones viro magno affinxerant, in suum transtulisse librum, et talem exprimere studuisse Timoleontis imaginem, ut, quicunque essent ejus apud Timaeum sermones, facinora tantum illustria cum justa tantae virtutis admiratione spectarent lectores proposita.

Sed haec ipsa Timoleontis virtus quaeritur, num tanta fuerit, quantam fuisse a Timaeo fortasse deceptus et ipse crediderit Plutarchus et memoriae prodiderit. Nam Timaeum ut in alios multos homines praeclaros maledicentissimum, ita Timoleontis laudatorem fuisse immodicum idem ille insimulavit Polybius XII, 23. Postquam enim notavit Timaeum, quod Callisthenem dixerit merito occisum fuisse ab Alexandro, sic pergit: Πλὴν εἰ τὸν Καλλισθένην θετέον εἰκότως κολασθέντα μεταλλάξαι τὸν βίον, τί χρὴ πάσχειν Τίμαιον; πολὺ γὰρ ἂν δικαιότερον τούτῳ νεμεσῆσαι τὸ δαιμόνιον ἢ Καλλισθένει. Ἐκεῖνος μὲν οὖν ἀποθεοῦν Ἀλέξανδρον οὐκ ἐβουλήθη. Τίμαιος δὲ μείζω ποιεῖ Τιμολέοντα τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν. Καὶ Καλλισθένης μὲν ἄνδρα τοιοῦτον (sc. ἀποθεοῦν οὐκ ἐβουλήθη) ὃν πάντες μεγαλοφυέστερον ἢ κατ' ἄνθρωπον γεγονέναι τῇ ψυχῇ συγχωροῦσιν· οὗτος δὲ Τιμολέοντα (sc. μείζω ποιεῖ τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν), τὸν οὐχ οἷον δόξαντά τι πεπραχέναι μεγαλεῖον, ἀλλ' οὐδ' ἐπιβαλόμενον, μίαν δὲ τῷ βίῳ γραμμὴν διανύσαντα, καὶ ταύτην οὐδὲ σπουδαίαν τρόπον τινὰ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς οἰκουμένης, λέγω δὲ τὴν ἐκ τῆς πατρίδος εἰς Συρακούσας. Ἀλλά μοι δοκεῖ πεισθῆναι Τίμαιος, ὡς, ἂν Τιμολέων, πεφιλοδοξηκὼς ἐν αὐτῇ Σικελίᾳ, καθάπερ ἐν ὀξυβάφῳ, σύγκριτος φανῇ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν ἡρώων κἂν αὐτὸς ὑπὲρ Ἰταλίας μόνον καὶ Σικελίας πραγματευόμενος, εἰκότως παραβολῆς ἀξιωθῆναι τοῖς ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης καὶ τῶν καθόλου πράξεων πεποιημένοις τὰς συντάξεις. Cui Polybii loco, quem rectissime judicavit Schweighaeuserus gravitate scriptoris haud satis dignum esse, adjicimus propter similitudinem, quae Marcellinus dicit in Vita Thucyd. §. 27. Τίμαιος δ' ὁ Ταυρομενίτης Τιμολέοντα ὑπερεπήνεσε τοῦ μετρίου, καθότι Ἀνδρόμαχον τὸν αὐτοῦ πατέρα οὐ κατέλυσε τῆς μοναρχίας, quibus multo veri similior favoris ac studii, quo Timoleontem prosequutus fuerit Timaeus, affertur causa, quam quae a Polybio fingitur paene ridicula.

Sed cum Polybii dictis si primum comparemus locum Plutarchi cap. 36. (τῶν δὲ Τιμολέοντος ἔργων ἔξω λόγου θεμένοις τὴν περὶ τὸν ἀδελφὸν ἀνάγκην οὐδέν ἐστιν, ᾧ μὴ τὰ τοῦ Σοφοκλέους, ὥς φησι Τίμαιος, ἐπιφωνεῖν ἔπρεπεν· „Ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις, ἢ τίς Ἵμερος τοῦδε ξυνήψατο“;) propterea memorabilem, quia exemplo docere nos videtur, qualis fuerit laudum a Timaeo Timoleonti tributarum ratio, ex illo ipso, ni fallor, suspicari licet, justo severius atque etiam iniquius Polybium hic quoque de Timaeo judicasse. Nam quem quis hominem ita laudat, ut tan-

tum dicat in ejus rebus gestis fuisse gratiae ac venustatis, ut Cypris eum vel Himerus videatur adjuvisse, cum ille usum fuisse affirmat singulari Deorum quorundam favore et benevolentia, virium humanarum modum egressum esse atque adeo Diis maximis maiorem eundem fuisse non contendit.

Deinde paulo accuratius consideratis Polybii verbis, non eo nomine intelligemus eum reprehendisse Timaeum, quod rerum gestarum veritatem inanibus commentis corrupisset, et facta a Timoleonte finxisset, quae facta non essent, sed id tantum crimini ei vertisse, quod rebus a Timoleonte peractis nimiam addidisset dignitatem et laudando exaggerasset ejus merita. In eoque consentit cum Polybio Marcellinus, cujus tamen sententia ne justo plus noceat Timaeo, non est silentio praeterenndum, quod in hoc ille vituperet vitium, ejusdem illum vitii reos facere etiam Herodotum et Xenophontem. His igitur perpensis, concedendum erit, si quis de Timoleontis rebus exponere vellet, eum ita sequi potuisse Timaei auctoritatem, ut, praecisis nimiis laudibus, alia omnia ex eodem hauriret verissima. Quocirca etiamsi certissimum esset, Plutarchum in componenda Timoleontis vita totum pependisse ex uno Timaeo, neque praeter illum alium quemquam consuluisse auctorem, tamen qui propterea negaret fidem Plutarcho habendam esse, temere judicaret, nisi simul Plutarchum quoque Timoleonti maiores, quam quae virtutibus ejus deberentur, impertivisse laudes, ex ipsius libro doceret ac firmissimis comprobaret argumentis. At primum Plutarchus non unius Timaei pressit vestigia, sed alios praeterea adhibuit locupletissimos testes, Theopompum, Ephorum, Athanin, qui sicubi diversa tradiderant, id celare noluit lectores. Quo fit, ut, quae refert Plutarchus nulla annotata auctorum discrepantia, ea ab omnibus scriptoribus pariter memoriae prodita fuisse credere liceat. Deinde Plutarchus tantum abfuit ut caeco quodam incitatus studio immeritis extollere vellet Timoleontem laudibus, ut, si quid in eo minus probandum esse judicaret, id haudquaquam dissimularet. Itaque aperte vituperavit Timoleontem, quod occiso fratre, quum et ab aliis multis hominibus et a matre acerbius objurgaretur, parum constanter id tulisset; neque negavit eundem virum, quum Hicetae uxorem et filias a Syracusanis supplicio affici passus esset, suam ipsum crudelitate contaminasse humanitatis gloriam. Eo autem loco, quo Plutarchus id consulto agit, ut ornet Timoleontem iis, quas meritus fuisse videatur, laudibus (cap. 36), non vanum se jactat rerum, quae, quum ipsae sint exiles, laudatore egeant, praeconem, sed ipsa rerum veritate innixus et Timoleontem cum aliis componens ejusdem aetatis viris excellentibus complectitur ac pronuntiat, quae vel sponte succurrant cuivis rerum illarum lectori.

Nec magis ab alio ullo scriptore traditum quidquam invenias, quod Timoleontis gloriae possit officere, quod vel omiserit Plutarchus, vel ita exposuerit, ut, si laudari non possit, vituperari tamen non queat, praeter unum illud, quod de Mamerci, tyranni Catinensis, morte perhibet Polyaenus Strateg. V. c. 12. Is enim narrat, Mamercum, qui multos homines dolis circumvenisset et neglecta jurisjurandi religione trucidasset, a Timoleonte oppugnatum tandem ea conditione sese dedidisse, ut Syracusani de ipso facerent judicium non accusante Timoleonte; Timoleontem autem, se accusaturum non esse, jusjurandum dedisse; deinde, quum Mamercus Syracusas venisset et a Timoleonte in concionem esset adductus, hunc ita promissis suis stetisse, ut accusaturum se esse negaret, sed quam

citissime Mamercum supplicio affici juberet; aequum enim esse, ut, qui toties alios fraude decepisset, ipse semel pari arte deciperetur. Eandem rem Plutarchus cap. 34 ita exposuit, ut, ne verbo quidem de perfida ista Timoleontis fallacia dicto, Mamercum referat Syracusis in concione orationem recitasse, quam ipse multo ante composuisset, deinde quum videret Syracusanos vehementissime sibi infensos precibus exorari non posse, abjecta veste, per medium theatrum cursu delatum scalae caput impegisse, ita se mortem subiturum esse sperantem; neque vero hoc ei obtigisse, sed vivum abductum supplicio affectum esse, quo latrones solerent mulctari. — Polyaeni narratio quamvis verisimilitudinis aliquid nancisci videatur ex eo, quod Plutarchus cap. 3 Timoleontem fuisse dicit ἄπιστον καὶ ἄσπονδον πρὸς τοὺς τυράννους, tamen quia nescimus, quem habeat auctorem, parum caute ageremus, si plus ei tribuere vellemus, quam Plutarcho, quem credibile est, si rem, qualem Polyaenus prodidit memoriae, a veterum aliquo scriptorum invenisset relatam, hoc non minus fuisse annotaturum, quam silentio praeterire noluit ἀχαριστότατον Timoleontis facinus, Hicetae uxoris et filiarum necem.

Sed consentire cum Polybii judicio videri possint, quae Cicero scripsit in epistola ad Lucceium data (ad Div. V., 12.) Quo loco ita possit aliquis abuti, ut et Timaei elevetur auctoritas, et, hoc si prospere cesserit, fortasse etiam ipsius Plutarchi. Etenim in epistola illa, qua precatur Cicero Lucceium, ut de rebus suis a principio conjurationis Catilinariae usque ad reditum suum peculiari exponeret libro, haec leguntur §. 16.: *Atque hoc praestantius mihi fuerit et ad laetitiam animi et ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timaeo aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri et in republica maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati; ut mihi non solum praeconium, quod, quum in Sigeum pervenisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur: placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam, a laudato viro.* Haec verba si quis sola spectet, seiuncta a reliquis, non videbuntur talia esse, quae Polybium adjuvent contra Timaeum. Totius autem epistolae consilium ac sententias qui coniunctim secum reputarit, is facile in eam induci poterit opinionem, ut Timaeum putet propterea a Cicerone laudatum, quod ingenio suo usus esset in rebus a Timoleonte gestis per mendacia augendis atque in majus extollendis. Cicero enim quum incredibili ardere se fatetur cupiditate, nomen ut suum scriptis illustretur et celebretur Lucceii, tum etiam in se laudando ut legum historiae sit negligentior exhortatur Lucceium. Ait enim §. 7. *Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut ornes ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, et in eo leges historiae negligas, gratiamque illam, de qua suavissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te affici non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontium illum a voluptate, ea si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere, amorique nostro plusculum etiam, quam concedat veritas, largiare.* Nonne haec ita sunt scripta, ut Cicero egregie observasse putandus sit eam legem, quam ipse in hac epistola sanxit, quum diceret, qui semel verecundiae fines transiisset, eum bene et naviter oportere esse impudentem? Sed tamen, ut fateamur, quid nos hac de re censeamus, neque ipsius Ciceronis videtur nobis tanta ex hac epistola elucere jactantia et veritatis prae gloriae cupiditate contemtio, quanta a multis ei saepenumero

objecta est, neque Timaeo videtur ille eam laudem impertire, quae ab hominibus honesti verique studiosis pro contumelia potius sit habenda, quam pro laude.

Primum enim, quod etiam Matthiaeus ad hanc epistolam annotavit, tenendum est, quo tempore Cicero eam scripserit. Scripsit autem anno postquam ab exilio redierat, eo igitur tempore, quo propter res in consulatu actas multorum adhuc hominum flagrabat invidia, quoque jure quodam suo licebat ei optare, ut, quae patriae ac libertatis studio permotus praeclare fecisset, eorum laus ne invidorum hominum obtrectatione et sua cum iniuria et civitatis haud exiguo detrimento imminueretur atque obtereretur. Quod egregie testimonio sua confirmat Quinctilianus XI, 1, 17. quem locum idem ille laudavit Matthiaeus. Itaque licet concedamus, eam Ciceronem ostendisse Lucceio laudis cupiditatem, quae severiore morum doctrina probari non possit, *) tamen hoc non prohibet, quominus amabilem quendam in omnibus, quae gloriam suam commendaturus scribit Lucceio, agnoscamus animi candorem ac sinceritatem.

Deinde iis ipsis, quae supra transscripsimus, quibus petit a Lucceio, ut in sese ornando leges historiae negligere ne vereatur, praemittit ille haec §. 6. *Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam, deinde etiam, ut ornes me, postulem.* Quo dicto Schützius et post eum Matthiaeus recte docuerunt indicari, quae sequantur, modestae meritorum suorum dissimulationi potius, quam vanitati tribuenda esse, et jocari magis Ciceronem, quam serio agere. Quis enim in animum inducat credere, quod ipse impudentiae esse judicarit et professus sit Cicero, id eum serio cum Lucceio egisse? At dicat aliquis: Frustra tu defendis vanum suarum rerum jactatorem, qui, quum veram aperiret animi sui sententiam, qua veritatis fines in sese praedicando transgredi Lucceium vehementissime cuperet, ita tamen callide id pronuntiavit, ut impudentiae atque immodestiae culpa se liberaret, et nolle videretur, quod vel maxime fieri vellet. Id quo minus verum esse concedamus, impedit nos, quod aliis ejusdem epistolae locis manifesto significat, non eam se poscere a Lucceio rerum suarum enarrationem, quae violatis veritatis legibus ea, quae reprehendenda sint, vel laudet, vel saltem non reprehendat. Commemorans enim materiae Lucceio oblatae et varietatem et copiam, Et reprehendes, inquit, ea, quae vituperanda duces, et quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis. Et ne quis opinetur, loqui Ciceronem de iis, quae in aliis fortasse vituperanda esse statuat Lucceius, non de iis, quae in semet ipso displiceant eidem, comparemus eum locum, quo causas affert, propter quas a Lucceio res suas posteritati tradi, quam ipse de se scribere malit, quo loco Sed, quod te non fugit, inquit, haec sunt in hoc genere (scribendi de semet ipso) vitia: et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si quid reprehendendum est.

Sed jam redeamus ad Timaeum, propter quem haec omnia disseruimus. Patebit enim haud dubie ex iis, quae diximus, non id Timoleonti Ciceronem potuisse gratulari, quod fictis commentis res

*) Cf. Abeken, Cicero in seinen Briefen, pag. 154. 205.

ejus auxisset et supra veritatem extulisset Timaeus. Magis etiam hoc liquebit, si paulo accuratius sententiarum, quibus illa Timaei mentio est inserta, consideraverimus ordinem et contextum. Quarum sententiarum summa Naeviano illo dicto continetur; vult enim Cicero laudari a laudato viro; et quemadmodum Alexander noluerat corporis sui imaginem exprimi nisi ab iis artificibus, qui ipsi ingenio atque arte excellerent, ita eos viros felices statuit Cicero esse praedicandos, quorum res praeclare gestae magna nactae essent scriptorum ingenia; narrandi enim virtutibus ipsas res quasi quaedam gravitatis et dignitatis capere incrementa; obtigisse autem illud Timoleonti et Themistocli, quorum unus Timaeum, alter Herodotum habuisset rerum suarum laudatorem; quae exempla ut fatendum est Ciceronem propterea ex magna elegisse exemplorum copia, quia suum uterque scriptor imperatorem insigni quadam prosequutus est benevolentia ac favore, ita, qua mente Timaeum commemorarit, intelligitur ex addita mentione Herodoti, quem nimio Themistoclis studio rerum veritatem egressum esse ac mendaciis corrupisse nemo umquam ausus fuerit contendere. Eodemque pertinet, quod scripsit Cicero §. 15. *Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes omnium imagines statuasque superavit.*

Itaque ne Ciceronis quidem testimonio aliud quidquam videtur evinci, nisi quod supra etiam Polybio dedimus, multum fuisse Timaeum in Timoleonte laudando, non ita, ut mendacem sese praeberet rerum vel non gestarum vel aliter gestarum auctorem, sed quidquid ingenii ubertate atque elegantia ad rerum veritatem accedere posset dignitatis ac decoris, id singulari quodam erga virum illum favore addere nusquam negligeret.

Restat, ut videamus, quid de Timaeo judicarit ipse Plutarchus. Quem si invenerimus non coecum illius fuisse admiratorem, sed, quae vitiosa in eo essent et intellexisse et libere pronuntiasse, confidere licebit de Timoleontis quoque rebus eundem caute sequutum esse ducem non ab omni parte probatum. Duo autem commemorandi hic sunt loci, quorum alter est in vita Niciae cap. 1. Ἐπεὶ δοκοῦμεν οὐκ ἀτόπως τῷ Νικίᾳ τὸν Κράσσον παραβάλλειν καὶ τὰ Παρθικὰ παθήματα τοῖς Σικελικοῖς, ὥρα παραιτεῖσθαι καὶ παρακαλεῖν ὑπὲρ ἐμοῦ τοὺς ἐντυγχάνοντας τοῖς συγγράμμασι τούτοις, ὅπως ἐπὶ ταῖς διηγήσεσιν, αἷς Θουκυδίδης, αὐτὸς αὑτοῦ περὶ ταῦτα παθητικώτατος, ἐναργέστατος, ποικιλώτατος γενόμενος, ἀμιμήτως ἐξενήνοχε, μηδὲν ἡμᾶς ὑπολάβωσι πεπονθέναι Τιμαίῳ πάθος ὅμοιον, ὃς ἐλπίσας τὸν μὲν Θουκυδίδην ὑπερβαλεῖσθαι δεινότητι, τὸν δὲ Φίλιστον ἀποδείξειν παντάπασι φορτικὸν καὶ ἰδιώτην, διὰ μέσων ὠθεῖται τῇ ἱστορίᾳ τῶν μάλιστα κατωρθωμένων ἐκείνοις ἀγώνων καὶ ναυμαχιῶν καὶ δημηγοριῶν, οὐ μὰ Δία „Παρὰ Λύδιον ἅρμα πεζὸς οἰχνεύων“ ὥς φησι Πίνδαρος· ἀλλ᾽ ὅλως τις ὀψιμαθὴς καὶ μειρακιώδης φαινόμενος ἐν τούτοις, καὶ κατὰ τὸν Δίφιλον „Παχύς, ὠνθυλευμένος στέατι Σικελικῷ,“ πολλαχοῦ δ᾽ ὑπορρέων εἰς τὸν Ξέναρχον, ὥσπερ ὅταν λέγῃ τοῖς Ἀθηναίοις οἰωνὸν ἡγήσασθαι γεγονέναι τὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔχοντα τοὔνομα στρατηγὸν ἀντειπόντα πρὸς τὴν στρατηγίαν, καὶ τῇ περικοπῇ τῶν Ἑρμῶν προσημαίνειν αὐτοῖς τὸ δαιμόνιον, ὡς ὑπὸ Ἑρμοκράτους τοῦ Ἕρμωνος πλεῖστα πείσονται παρὰ τὸν πόλεμον· ἔτι δ᾽ εἰκὸς εἶναι τὸν

Ἡρακλέα τοῖς μὲν Συρακουσίοις βοηθεῖν, διὰ τὴν Κόρην, παρ᾽ ἧς ἔλαβε τὸν Κέρβερον, ὀργίζεσθαι δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅτι τοὺς Αἰγεστέας, ἀπογόνους ὄντας Τρώων, ἔσωζον, αὐτὸς δ᾽ ὑπὸ Λαομέδοντος ἀδικηθεὶς ἀνάστατον ἐποίησε τὴν πόλιν. Ἀλλὰ τούτῳ μὲν ἴσως ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐμμελείας ταῦτά τε γράφειν ἐπῄει, καὶ τὴν Φιλίστου διάλεκτον εὐθύνειν καὶ τοῖς περὶ Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλη λοιδορεῖσθαι. Ἐμοὶ δ᾽ ὅλως μὲν ἡ περὶ λέξιν ἅμιλλα καὶ ζηλοτυπία πρὸς ἑτέρους μικροπρεπὲς φαίνεται καὶ σοφιστικόν, ἂν δὲ πρὸς τὰ ἀμίμητα γίγνηται, καὶ τελέως ἀναίσθητον. Alter locus est in vita Dionis cap. 36. Ἀλλὰ Τίμαιος, οὐκ ἄδικον λαβὼν πρόφασιν τὴν ὑπὲρ τῆς τυραννίδος τοῦ Φιλίστου σπουδὴν καὶ πίστιν, ἐμπίπλαται τῶν κατ᾽ αὐτοῦ βλασφημιῶν, ᾧ τοὺς μὲν ἀδικηθέντας τότε συγγνωστόν ἐστιν ἴσως ἄχρι τῆς εἰς ἀναίσθητον ὀργῆς χαλεποὺς γενέσθαι, τοὺς δ᾽ ὕστερον συγγράφοντας τὰ πεπραγμένα, καὶ τῷ μὲν βίῳ μὴ λυπηθέντας αὐτοῦ, τῷ δὲ λόγῳ χρωμένους, ἡ δόξα παραιτεῖται μὴ μεθ᾽ ὕβρεως μηδὲ μετὰ βωμολοχίας ὀνειδίζειν τὰς συμφοράς, ὧν οὐδὲν ἀπέχει καὶ τὸν ἄριστον ἀνδρῶν ἐκ τύχης μετασχεῖν. Ex utroque loco patet, non ignorasse Plutarchum Timaei vitia; reprehendit enim in eo tumidum illud ac pingue genus dicendi, quo etiam Thucydidem conatus sit superare, cupiditatem obtrectandi aliorum hominum laudibus, animi insolentiam etiam calamitatem eorum, quos odisset, atque interitus ludibrio habentem, denique pueriles in rebus nominibusque comparandis fabulisque congerendis lusus.

His omnibus quamquam nobis videtur effici, ut, res graviores si spectemus ipsosque factorum eventus, Plutarchi fidei non offecisse Timaei auctoritatem credere liceat, tamen nos non ii sumus, qui omnino nihil e Timaei ingenio, a Plutarcho reprehenso, in ejusdem de Timoleonte librum translatum esse affirmemus. Leguntur enim in eo haud pauca mirabilia, quae profecta esse videantur ab auctore, ornandi Timoleontem insolitis quibusdam laudibus et supra humanae sortis modum evehendi cupidissimo. Talia sunt, quae narrantur de sacerdotum Proserpinae somnio, de vitta in templo Delphico, coronis et victoriis distincta, super Timoleontis caput delapsa, de face classem in Italiam praegressa (cf. Wessel. ad Diod. Sic. XVI. pag. 161. lin. 14), de templi Adranitani foribus sponte patefactis, Deique hasta concussa ac sudore ex eius ore defluente. Talia Timaeus haud dubie, si non finxit, certe cupidissime ex vulgi fama et rumoribus arripuit. Eademque Plutarchus nimia fortasse credulitate et accepit et posteritati mandanda esse statuit. Neque tamen si quis aeque velit judicare, acerbe hanc ob causam vituperabit bonum scriptorem, cujus ea fuit pietas, ut homines virtute insignes eorumque consilia et facta laudabilia singulari quodam crederet adjuvari Deorum favore, in prodigiis etiam saepenumero comparente casuumque admirabili concursu, quique antiquas istas de rebus humanis praeter spem atque opinionem per ostenta divina et auxilia gubernatis fabulas haudquaquam spernendas esse putaret. Hic igitur scriptor quum Timoleontem videret tantis virtutibus fuisse excellentem, tantasque res tam parvis copiis incredibili successu confecisse, si fidem non denegavit auctori antiquiori, qui apertis quibusdam signis Deos tradidisset singularem suum erga illum favorem testatos esse, non est, quod magnopere vel miremur vel reprehendamus.

Iam praefandi munere postquam functi sumus, ad Vos conversi, huius urbis Proceres, adolescentium nostrae disciplinae traditorum parentes ac propinqui, et quicunque rebus nostris ac studiis favetis, ut solennibus sub finem anni scholastici rite instituendis et celebrandis frequentes adesse ne gravemini, ea, qua decet, humanitate et modestia rogamus atque oramus.

